

das. Quod quidem legatum nostro adhuc tempore pendet ex deversorio, solis aurei nomine insignito. Alter vero, Antonius cognomine, ad Zittaviensium accessit rempublicam et per omnes magistratus anno MDCLXIII. ad consulis tandem electus est dignitatem. Eius in civitatem nostram merita fuere eximia et vir summus inter nos hodie adhuc vivit annuo beneficio, literarum studiosis destinato, qui cognitione Kohlianam attingant gentem. At enim uterque frater, et Michael et Antonius, mortuus est, sexu virili non relicto, ita, ut ab eo inde tempore h. e. a quarto et septuagesimo seculi decimi septimi anno gens ista nobilissima atque antiquissima, virilis sexus habita ratione, in urbe nostra desierit. Ad sexum muliebrem quod attinet, connubii se coniunxerunt Kohliae cum multis aliis familiis, ita, ut hac ex parte per diuturnum temporis spatium adhuc floruerit nomen Kohlianum et vel hodie in urbe nostra nonnullae reperiantur familiae, quae ad hanc gentem nobilissimam se pertinere documentis comprobare possint idoneis. Quamquam vero hoc ita se habet, memoria tamen dignissimum videtur, antiquissimae nobilissimaeque istius gentis, in alias quoque regiones, in Bohemiam, Silesiam, Polonię, Helvetiam et Belgum dispersae, virilis stirpis habita ratione, plus centum abhinc annis nullas omnino superesse reliquias nullamque plane propaginem. In causas huius penitus extinctae stirpis si inquisiverimus, non postremam inesse reperiemus bellis, in quibus permulti ex heroico isto genere in ipso aetatis occubuerunt flore. Ne multa, et antiquissima haec nobilissimaque gens rerum humanarum docet et comprobat mutabilitatem, inconstantiam, vanitatem! Animo igitur gratissimo utamur bonis, quae ex prolixa illustrissimae huius gentis liberalitate singulo quoque anno ad nos redundant! Sit nobis, Zittaviae incolis, nomen Kohlianum sanctissimum! sanctissima sit nobis nobilissimae huius gentis memoria!

Indico nunc orationem, in memoriam *Christiani Keimanni*, Rectoris quondam de Gymnasio nostro optime promeriti, crastino die habendam, cui ut Senatus Amplissimus, Sacrorum Ministri Venerabiles, Collegae Clarissimi atque omnes Fautores Aestumatisimi, interesse velint, observanter humaniterque rogo.

P. P. Die XXVI. Augusti MDCCCV.

